

EPISTOLA DEDICATORIA.

olim characteres, natura & conditione ab inuicem minime diuersos, in lucem edentes celebrauerunt; utpote quorum alter præclaram & famigerabilem illam Cantabrigiæ Academiam, studii atq; scientiæ organis reddidit ditiorē, ædificio magnifico ornatiorem, doctrinæ cupidis gratiorem facilioremque: magnificum insuper illud librorum electorum sacrarium, largum structuræ opus, ad Bibliothecæ vsum destinatum, dontum omnibus literatis gratum, nemini quærenti vtilitatem amplam non proficuum, & lac quasi dulce ex Mineruæ vberibus sitienti abundanter non effundēs, liberaliterq; impluens: Alter autem charitatis tuæ impregnatæ partus siue character, est egregia illa Bibliotheca, in Cœnobio apud Londinenses ob monumēta & sepulchra Regum celeberrimo, Vestmonasterium dicto, haud paruo dignitatis vestræ sumptu erecta, atque omni cultu necessario, & præcipue raris & melioris æstimationis libris munita exornataq;, quæ tã propter structuræ atq; dispositionis decus, quam librorum in ea contentorum excellentiam, per vniuersam fere Britanniam decantata atq; ebucinata, inclyti sui fundatoris ac patroni laudes æternis famæ monumentis indies magis magisq; depingere atq; insculpere solet: ita vt honorē & dignitatem vestram non sibi solum, sed & aliis natam, naturali etiam animi inclinatione ad benefaciendum procliuem atq; addictã esse, suauis ac voluntaria hac tua bonitate sat liquido declaretur: Ordo denique posterior, ratioq; mihi propinquior, mediante qua hac meorum operum dedicatione nomen tuum & honorem celebrare, me cautus induxit respectus, maturaq; sollicitauit consideratio, est arcta illa spirituum nostrorum vicinitas, firmusque in cōsanguinitate nexus, virtute cuius corpora alias disiuncta, firmissimis nihilominus vinculis, & magnetico quodã quasi naturæ glutine simul coniunguntur, adligantur, atque vniuntur. Quæ ergo Dominationi & Dignitati vestræ sincero corde menteque grata sunt oblata, tu (Pater Reuerende, Præses loco & officio tanto dignissime,) ex parte tua, serena fronte vultuque placido accipere digneris, meq;, Dominationi tuæ omni tam diligentia quam obsequii munere deditissimum, fauore & benevolentia prosequaris obtestor, dum ego ex mea, vt diu fæliciterq; viuas, fausto in vita tua ac propitio dirigaris numine, ac tandem in officio sanctæ bonitatis erga omnes in perpetuum maneas, Deum Opt. Max. humiliter & ex animi mei meditullio precor.

*Amplitudinis & Reuerendæ
vestræ Dignitatis*

Obseruantiss.

*Rob. Fludd. Pro sapia suæ origine
Cambro-Britannus.*

Portio